

- decif. 507. num. 7., Burat. decif. 448. n. 12.,* ubi, quod non sufficiant diligentia contra procuratorem, quia per eas non potest devenire ad excommunicationem contra beneficiatum non solventem, *Marescot. var. resol. lib. 2. c. 18. num. 54. 55., & 56., & ratio horum omnium est, quia actio contra successorem in beneficio est subsidiaria, & accessoria, propterea non intrat nisi confitio, quod principalis debitor, non sit solvendo, Lotber. de benefic. lib. 1. q. 39. num. 109.*
- 28 Neque Pensionario nocebit negligentia prior, dummodo posterius adhibuerit necessariam diligentiam, puta si per sex annos non petiit, sed neglexit exigere pensionem, septimo autem, & octavo petiit, & adhibuit omnem diligentiam possibilem conveniendo beneficiatum, reportando sententiam condemnatoriam, procurando executionem ejusdem, aponendo sequestrum, & dum ea non fuerint satis, reportando denuntiationem excommunicationis, & affixionem cedulorum, quibus sic omnibus peractis, dicitur fecisse omnem possibilem diligentiam, at si aliquid omittat, non dicitur fecisse diligentiam, si ergo in posterioribus annis ea fecerit reportabit contra successorem. Primo, quia licet prioribus annis poterat petere, tamen non tenebatur, ideoque non dicitur negligens, cum negligens dicitur, qui omittit facere, quod debet, tum quia non potest presumi fraus in eo non petente prioribus annis dummodo posterioribus petierit, tum quia sicuti ultima mora est ea, quae nocet, ita contra, ultima diligentia est ea, quae prodest, & ita declaravit *Rota in Neritonem pensionis coram Card. Bononien. decif. 352. num. 4. p. 2. recent., Tondut. de pension. c. xi. nu. 4. 5.*
- 29 Si autem quaeratur ad quem spectet probare factas fuisse diligentias, vel non factas, & sic intercessisse negligentiam. Respondet spectare ad ipsum Pensionarium actorem, quia agendo contra successorem in beneficio, habet pro fundamento suae intentionis diligentias a se factas, actor autem probare debet fundamentum suae intentionis; *Statil. de Salviano interd. inspeet. 3. c. 4. num. 629., ubi assertur Rotam sic pluries judicasse; Tondut. de pension. c. 20. n. 25. post Surd. conf. 3. num. 29. lib. 1., Lotber. de re benefic. lib. 1. q. 39. num. 120.*
- 30 Sufficeret autem diligentias factas contra haeredes, & bona praecessoris, ex *Rota dicit Salust. Tiber. lib. 3. c. 3. num. 24., Garzias de benefic. p. 1. c. 5. num. 203.*
- 31 Ut autem Pensionarius dicatur fuisse negligens, & propterea non possit obtinere a successore in beneficio pensiones decursas tempore praecessoris, oportet semper verificari regulas generales de negligentia, scilicet, quod potuerit agere contra praecessorem, nec ullo impedimento extrinseco fuerit impeditus; Secundò, quod non ignoraverit jus sibi competere; Tertio, quod egerit eo modo quo debuit, scilicet judicialiter, & validè, quia si nulliter non excusaretur a negligentia; Quarto, nihil ulterius potuerit intentare, quae requisita considerat etiam *Lotber. de re benefic. lib. 1. q. 39. num. 121., & seqq. usque ad 149.*
- 32 In Creditore, qui impetravit rescriptum iustitiae, sed per annum distulit eo uti ex negligentia, si pars adversa impetret novum rescriptum puta commissionis alteri iudici, post annum elapsum, non potest creditor impedire executionem secundi rescripti, sub praetextu, quod de primo a se reportato non sit facta mentio juxta *c. ceterum de rescriptis*, quia in poenam negligentiae contra ipsum currit annalis praescriptio, *c. plerumque de rescript.*, annus autem in hoc casu incipit a die, quo Creditor habuit copiam Iudicis, quem potuit adire, ut dicit *tex. eod. c. plerumque*, & ratio suadet aperta quia, qui non habet copiam iudicis, agere non potest, sicque per eum non stat, & consequenter neque potest dici negligens.
- 33 Neque dictus effectus eliditur ex *tex. in falso C. de diversis rescript.*, ubi quod rescripta sunt perpetua, non intelliguntur esse perpetua, nisi elapso anno novum rescriptum ab adversario impetretur, ut post *Jasonem, Vantium, & alios explicat, Menoch. de arbitr. Judic. c. 204. C. de diversis scripturis.*
- 34 Ex Statuto Urbis, quod Creditor negligens per annos sexdecim petere debitum, excluditur, ne possit amplius petere, quod sibi debebatur, quod statutum explicat, *Marescot. adnotatis pluribus limitationibus omnino videndis variarum resol. lib. 2. c. 67., ubi num. 36., quod ex sola negligentia Creditoris in petendo, non habetur sufficiens funda-*

- fundamentum praesumendi solutionem, alias frustratoria esset praescriptio, *Merlin. decif. 125., ubi num. 15. vers. Verissima igitur est conclusio*, quod si debitor sit in mala fide, non currat talis praescriptio, & ex *Statuto Ferrariae lib. 2. rubric. 128.* Creditor negligens per annos quindecim petere, & exigere debitum, sibi praedat, quatenus post annos quindecim non audiat, dummodo debitor juraverit se solvisse, aut quomodolibet satisfecisse, vel eo mortuo haeredes ejus jurent de credulitate solutionis praedictae, ubi *Pigant. num. 3.* notat, quod negligentia Creditoris eo ipso videtur probata, quando lapsus est tempus, nisi doceatur de legitimo impedimento, ad quod multum facit: *decif. Merlin. 124., & Pigant. num. 5.* notat ex statuto, quod Creditor tacens, & negligens per tantum tempus amittit creditum, quod limitat *Gabriel. lib. 6. tit. de Statutis conclus. xi. in debito jurato.*
- 35 Praedicta autem negligentia, secundum Statuta Urbis, & Ferrariae, non operatur effectum in forensibus, quia Statuta ligant Cives, incolas, & districtuales, non autem porriguntur ad forenses, *Verall. decif. 207. p. 3.*
- 36 Limita in praescriptione ex interdicto quorum bonorum, ubi non requiritur bona fides, sed causatur ex negligentia non petentis, *Verall. decif. 178. num. 4. p. 2., Bartol. in l. naturaliter num. 3. ff. de Usucap. ubi, quod ideo dicitur praescriptio odiosa.*
- 37 Quod si Creditor sit indigens, & tamen diutius negligat petere, & exigere praesensum creditum, & interim ab aliis petat, quoquomodo pecunias, non verò a debitore, creditum illud sit inverisimile, & improbabile, quia non est credibile, quod homo indigens ab aliis petat, & non a suo debitore, *Alexand. consil. 183. num. 17. vers. & hanc partem lib. 6., Menoch. conf. 457. n. 1. 6. 12., & de praesumpt. 135. num. 19. lib. 3., Orbobon. decif. 205. num. 16. post Salgad. labirint. credit.* & hoc tamquam conjectura, non debiti observat, *Merlin. decif. 125. num. 19. Vers. in proposito verò, Surd. decif. 105. num. 3.* Plures autem sunt hujus negligentiae effectus.
- 38 Primus. Effectus est, quod cessionarius debitoris, negligens exigere nomen sibi cessum, nec statim excutiat, si interim de-

bitoris nomen fiat deterius, id damno ipsius cessionarii adscribitur, ejusque culpa imputetur, non autem principalis debitoris cedentis nomen: *Mangil. de eviction. q. 78., ubi num. 3., quod non sufficeret qualis, qualis diligentia, sed requiritur talis, ut exactorem perducatur ad finem, scilicet, ut mandatum Judicis exequi faciat, vel facta excussione, pronuntietur non extare bona, & num. 9., quod etiam faciat carcerare debitorem, vel saltem constare faciat de illius fuga; adhibita autem omni debita diligentia habebit regressum contra principalem cedentem, & non aliter, & in hoc artic. videatur omnino, Mangil. q. 78., ubi plura ad hunc effectum: *Salgad. labirint. credit. p. 1. c. 26. num. 19. in fine.**

39 Secundus. Effectus est, ut si Creditor, qui mutavit pecuniam ad emendum semina in campo seminanda, vel ad refectio-nem domus, vel navis, ac proinde habet praedationem in fructu ex semine orto, in domo, vel navi refecta, ratione conservationis, sine qua res non extaret, ad late tradita, & ponderata per *Merlin. de pignor. & hypoth. lib. 3. tit. 1. q. 5. ferè per totum, & si omittat, seu negligat exprimere causam praedictam, sed solum simpliciter mutuet rem, seu pecuniam, etiam si probaret implicationem in aliquam ex dictis causis, non haberet praedationem in eis rebus super alios Creditores, quam praedationem haberet ea expressione facta, Gratian. c. 670. num. 9., Pacific. de Salviano interdicto inspeet. 3. c. 4. num. 220., & post alios *Merlin. d. q. 5. num. 64., ubi num. 66.* notat ad praedictam praedationem habendam, tria copulativa requiri; Primo, ut pecunia expressè, & nominatim in causam seminis, vel refectio-nis detur; Secundò, ut in eam causam expendatur, & expensa probeatur; Tertio, quod fructus nati ex semine, vel res refecta extant, *Gail. lib. 2. observat. 12. num. 4.; Gail. de credito. c. 4. num. 1201., ubi num. 1206., quod sola hypotheca generalis facit quidem rem venire in generali obligatione, non verò dare privilegium praedationis, & num. 1565. Misinger. observat. 60. num. 2. & 3. centur. 1.**

An autem praedatio intret, quando fuit pecunia mutuata sub usuris, & non gratis, non est hujus instituti examen, sed videnda sunt notata per *Merlin. supra num.*

80. & seqq.
- 40 Tertius. Effectus est, quod si debitor ad instantiam Creditoris fuerit carceratus, & graviter infirmetur, itaut iudicio prudentis Medici sit in mortis periculo, vel debet sub fideiussione de redeundo ad carceres, aut concordando cum creditoribus, è carceribus relaxari, vel si fideiussiores non inveniatur, debet ipsis creditoribus consignari, cum præcepto, quod eum in domos suas recipiant, & infirmo subministrent necessaria, quod si neglexerint Iudex mittet debitorem infirmum ad hospitale, vel fideiussori minus idoneo relaxabit, sibi enim debent Creditores imputare si neglexerint præceptum Iudicis adimplere, *Farinac. de carcer. q. 33. num. 77. vers. in causa infirmitatis*, & post eum, *Mauson. de causis exequitivis limitatione 1. num. 13.*
- 41 Quartus. Effectus est, ut si publicata decoctione debitoris, creditores non instent, non curent, sed negligent fieri quam primum, & sollicitè inventarium bonorum debitoris remansorum, sibi multum præjudicent: ad notata per *Scacciam de decoctionibus p. 7. num. 14.*, *Marchesan. de commiss. admiff. ad bonorum cessionem num. 101.*, & 102., & seqq., *Pigant. ad Statut. Ferrariae tom. primo rub. 24. de decoctionibus nu. 1. Vers. Quantum perinet ad primam*; præjudicium autem consistit, quod non sic de facili, & promptè, potest Iudex creditorum indemnitati consulere, poterit tamen Iudex huiusmodi inventarii confectionem ex se mandare; sicuti & alterum præjudicium esset, quod non esset cautum, & occursum furtis, vel etiam si negligat scripta, & libros debitorum ponere in tuto, quia tunc non esset occursum stupro partitarum, ut notat *Pigant. supra num. 6.*, ubi *num. 7.*, quod debent creditores procurare per edictum Principis mandari, ut scientes bona debitoris revelent sub pœnis arbitrio, & *nu. 8.* quod instent decerni Curatorem bonis decocti.
- 42 Et tandem, si Iudex publicet edictum, quod creditores decocti infra tot denuntient suum creditum in actis Notarii, cum comminatione, quod non facta denuntiatione in termino præfixo, ulterius non audiantur, nec pro creditoribus habeantur in præjudicium aliorum creditorum, quod limitat, *Pigant. supra vers. Quod tamen, re-*

specu pœnæ in minoribus, & absentibus, certò creditorum negligentia eis, non obest ad incursum pœnæ.

43 Quintus. Effectus est, quod sicuti diligens creditor, qui rem vendidit habita fide de pretio, si sibi reservet specialem hypothecam in rebus venditis in concursu creditorum, in suis rebus prælationem habebit, ita è converso, si creditor negligat sibi talem hypothecam reservare in pœnam suæ negligentia, non habebit huiusmodi prælationis beneficium: *ad tex. in l. licet, C. qui potiores in pignore hab., Pacific. de Salviano interd. inspect. 3. c. 3. num. 23.*, *Gait. de credito c. 4. q. 11. num. 1208.*, & 1215., & *virtute Statuti Ferrariae rub. 24. de decoctionibus creditores*, quorum bona, & corpora debitori decocto data, adhuc extare reperiuntur, in eis conceditur prælatio in satisfactione præ aliis creditoribus, quod statutum magnam continere æquitatem, notavit *Pigantius ad eam rub. tom. primo n. 13.*, ubi qualiter probatur identitas, & quod de Jure communi regula sit in contrarium propter dominii translationem.

44 Sextus. Effectus, quem tangit *Pigantius supra num. 36.*, quod licet regulariter debitum unius rationis, & hypothecæ non compensetur cum credito alterius, etiam respectu eiusdem personæ, & regulariter creditores unius apothecæ habeant prælationem in mercibus, & rebus illius, creditores verò alterius apothecæ non admittantur, nisi in subsidium, & illis satisfactis, ut latè comprobatur, *Magon. decis. Lucens. prima*, & *Costa remedio subsidiario 119. num. 12.*, tamen si creditores unius negotii, seu tabernæ, negligent instare pro satisfactione sui crediti, tunc creditores alterius negotii, & tabernæ possunt instare, & agere pro satisfactione in mercibus, & rebus primæ tabernæ, & negotii.

45 Septimus. Effectus est, quod si debitor ad solutionem ejus, quod debet, vel totius, vel partis deponat in publico banco pecuniam debitam absque ullo vinculo, aut conditione extrinseca, sed liberè, & in facie creditoris, cui, aut intimaverit, aut alio modo certò innotuerit, si creditor, qui ad sui libitum potest pecuniam è banco tollere negligat, & interim pecunia deposita pereat, creditori perit, dixi tamen si liberè in facie, seu nomine creditoris de-

ponat,

ponat, absque ulla conditione extrinseca, quia si cum vinculo, aut conditione deponat, tunc quia Creditor impeditur pecuniam recipere numquam est negligens, & consequenter non sibi, sed debitori, qui vinculavit, depositum perire debet, ut latè comprobatur, *Pigant. d. rub. 24. de decoctionibus num. 55.*, & seqq., & *num. 66.*, & seqq., ea ratione, quia stante vinculo, & conditione extrinseca, dominium pecuniæ non est translatum in creditorem, sed per debitorem stat, quin recipiatur, & dato impedimento non est negligens, *reg. Impunitari de reg. Jur. in 6.*

46 Octavus. Effectus est, quod si plures sint creditores, & posteriores ex eis instent vendi bona debitoris, & sibi satisfieri, & current per edictum vocari ad contradicendum infra certum tempus creditores, quo termino elapso, si creditores priores negligentes non comparverint, amplius non audiuntur, facit *tex. in l. si eo tempore, C. de remiss. pignorum*, ubi, quod videntur pignoris obligationem amisisse: *Maranta in speculo p. 6. memb. 1. num. 104.*, *Scaccia de Judic. lib. 1. c. 34. sub num. 18.*, ubi, quod idem militat, quando alicujus delinquentis bona publicantur, nam per edictum citati omnes illius delinquentis creditores, si negligent comparere elapso termino, non amplius audiuntur, & hoc, non solum quando bona, aut applicantur fisco, aut venduntur adhaestam, sed etiam, si ipsi delinquenti restituantur, nam adhuc creditores, qui fuerunt negligentes, nec comparverint, remanent exclusi: *Odd. de restit. in integrum p. 2. q. 97. art. 3. per totum num. 15.*, & seqq., quod tamen *Scaccia ibi in fine*, non ponit pro constanti, ita pariter creditor citatus ad docendum de suo credito, si negligens non doceat, sibi præjudicat, *Rota coram Orano impressa post Postbium de manutent. decis. 368. num. 7.*

47 Nonus. Effectus est, ut si creditor, qui potest, & debet ex clausula constituti accipere realem possessionem rei obligatæ, & per decennium negligat eam accipere, ex ea negligentia, amissa foret possessio civilis, tamquam derelicta, ut conatur probare, *Rovit. ad pragmat. 1. de conservat.*, requiritur autem, quod creditor sciat se posse, & debere possessionem accipere, nulloque impediatur, quia tunc esset negligens,

& non aliter ad *tex. in l. si de eo ff. de acquiren. possess.*, ratio autem per *Rovit allegata* est, quia possessio constituti retinetur animo creditoris, & corpore debitoris, *ad tex. in l. 3. §. saltus ff. de acquir. possess.*, animus autem creditoris negligentis per decennium, tamquam per longum tempus censetur deficere, quasi per longam oblivionem, aut per voluntariam derelictionem, sicque debitor, qui per decennium occupat, & retinet possessionem, efficitur verus possessor: *Afflic. decis. 139. ad finem*, idèque ex cursu tanti temporis fit possessor bonæ fidei, ac præscribit, quam doctrinam, tamquam regulam generalem: non approbat *Gait. de credito c. 4. q. 7. num. 861.*, & seqq., ubi, quod creditor per talem negligentiam amittere videatur solum possessionem naturalem, circa quam propriè versatur negligentia creditoris, retinebit tamen civilem, quæ solo animo retinetur, *l. 3. §. in amittenda ff. de acquirenda possess.*, & circa hanc possessionem civilem, non potest allegari negligentia, idèque *num. 864.* notat, quod possessio civilis, quæ animo retinetur per decennalem negligentiam, regulariter non perditur, & quamquam *in l. si de eo §. 1. & l. furtum §. ultimo ff. de usucap. habeatur*, quod per longævam illam oblivionem, & negligentiam animus possidendi, seu retinendi possessionem, censetur deficere, tamen regulariter ita longæva oblivio, non determinatur ad decennium, sed remittitur arbitrio Iudicis: *Jafon. in l. 1. num. 45. 46. 47. C. de servis fugit.*, Iudex autem ex circumstantiis arbitrabitur, an creditoris obliviosi, & negligentis animus defecerit possidendi, ut *Gait supra infer. a nu. 870.*, & seqq., idèque creditor à negligentia excusaretur propter absentiam, vel si debitor alias fuisset difficilis exactionis, ut potentiores, & nobiliores viri, & huiusmodi, quibus circumstantiis cessantibus, possessio civilis præscribitur longi temporis spatio triginta annorum; *Thefaur. decis. 215. num. 6.*, & post eum *Gait. supra num. 872.*

48 Verum absolutè pro regula ponitur à *Postbium de manutentio. observatione 58.* pluribus allegatis, quod creditor negligens capere, aut recuperare possessionem naturalem, censetur per oblivionem deposuisse, animum retinendi possessionem civilem, sicque eam amisisse, *Rota in Collimbricens. præstimonio-*

rum